



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,  
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque  
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.**

2 De excommunicationibus non reseruatis in Decreto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

pertinebat prioris cenſuræ abſolutio: quia non tam eſt noua reſeruatio, quam annexa vel ſuccedens præcedenti. Propter quod dici ſolet huiusmodi homo reincidente in priorē cenſuram. Atque ita fit, vt hæc reſeruatio communis fit Summo Pontifici, & primario ad illud pertineat, ideoque illam expoſitam reliquimus ſuperiori diſput. ſect. 3. Et ibi dicta applicanda ſunt cum proportionē ad ceteros iudices.

Atque hæc ſunt excommunicationes Episcopales, quas Nauarrus aſſert, & ſumplit fere ex Sylueſtro. Angelus vero addit aliam ex Clement. Cum ex eo, de Sententia excommunic. vbi fratres Minores excommunicantur, ſi tempore interditi admittant in ſuis Eccleſiis ad audienda diuina officia fratres tertij ordinis. Veruntamen, ſi recte expendatur, illa cenſura non tam Episcopo, quam Pontifici reſeruatur: verba enim ſunt, *Qua per alium quam per Romanum Pontificem abſolutionis beneficium nequeant obtinere.* Interponitur autem ibi hæc verba, *Vel ſatisfactione præmiſſa per locorum Episcopos, quos auctoritate Apoſtolica ſungi volumus in hac parte.* Vnde conſtat reſeruatiōem non fieri Episcopo, ſed eam quæ facta eſt Papæ in quodam caſu, & ſub certa conditione committi Episcopis, vt Papæ delegatis. Accedit præerea: quod ipſe Angelus notauit, legem illam reuocata eſſe per priuilegia conceſſa Minoribus: & ideo & ſuperiori diſput. a nobis omiſſa eſt, & omitti hic etiam potuiſſet.

SECTIO II.

Quæ excommunicationes non reſeruata in Decreto continentur.



X Decreto vnam vel alteram excommunicationem aſſert Nauarrus num. 114. & cap. Ad miniſtratores, 23. qu. 5. vbi Ioannes VII. præcipit, Principibus, ſeu poteſtatibus ſecularibus, quos ad miniſtratores ſecularium dignitatum appellat, & conſtitutos eſſe dicit ad Eccleſiarum tuitionem, viduarum, ac pupillorum protectionem, & apaciumque reſeruatorum. Præcipit ergo illis, vt quoties ab Episcopis, & Eccleſiaſticis viris (vtique iuriſdictionem habentibus) conuenti fuerint, eorum querimonias attentius audiant, & prout neceſſitas expetierit, abſque negligentia examinent, & diligenti ſtudio corrigant. Quod ſi Dei timorem præ oculis non habentes, negligere poſt ſecundam & tertiam monitionem inuenti fuerint, omni ſe nouerint communionē vſque ad condignam ſatisfactionem priuatos. Ex quibus vltimis verbis colligi videtur excommunicationem in ipſo iure ibi ferri, vt Gloſſa aduertit. Circa cauſam autem vel actionem, propter quam incurritur, addit Gloſſa ibi, illam cenſuram incurrit Principem ſecularem, qui non facit iuſtitiam clerico: de quo tamen in illo textu mētio nulla fit, nec proprie ſpeſtat ad Principem ſecularem facere clericum iuſtitiam, cum in eum iuriſdictionem non habeat, ſed nō facere illi iniuriam; quod commune illi eſt cum aliis etiam iuriſdictionem temporalem non habentibus. Ratio ergo illius cenſuræ eſt, ſi poteſtas ſecularis omittat, ac negligat ſuum officium exequi in his actionibus, quæ ſunt defendere Eccleſiam, ſub qua tam perſonæ, quam loca, & bona Eccleſiaſtica comprehenduntur, viduas, & pupillos protegere, & vitia publica, quæ perturbant Rempublicam, præſertim per latrocinia & ſimiles iniurias, extirpare. Vt autem hæc negligentia ſit ſufficiens cauſa huius cenſuræ, requiritur Eccleſiaſtici Prælati admonitiō triplex cum contumacia, vt patet ex ipſo contextu. Vnde ſit, neceſſarium eſſe, quod ante huiusmodi admonitiones ſupponatur obligatio grauis in ipſo ſeculari Principe, ſeu Gubernatore ad illud munus, de quo admonetur, exercendum, quia Eccleſiaſ-

Fr. Suarez, tom. 5;

ticus Prælati, non imponit illi præceptum mere poſitiuum, ſed admonet ipſum de ſua obligatione, vt illam ſeruet. vt clare in textu illo ſupponitur, dum dicitur, eos debere hoc facere, & cum conuenti ab Episcopis fuerint, & eorum querimonias audierint debere ſe corrigere.

Ex quo ſequitur, ſi huiusmodi miniſtrator ſecularis non ex negligentia vel pertinacia, ſed ex aliquo probabili & practico iudicio omiſerit id facere, quod admonetur, quia exiſtimat ſe non teneri, neque illud pertinere ad ſuum munus, tunc non incurrit hanc cenſuram: dummodo tale iudicium practice probabile ſit, ſeu ex inuincibili ignorantia proſectum, quia tale iudicium excuſat à culpa: ergo & à cenſura. Item admonitiō non addit obligationem, ſed oportet vt illam ſupponat: at vero in tali caſu non ſupponit illam: ſed talis admonitiō ſolum eſt ex præſumptione quadam, & ideo non parere illi tunc, non eſt contumacia vera, quæ ad incurrendam excommunicationem ſufficiat. Solum eſt cauendum ne aliquis ſine ſufficienti fundamento pertinax ſit in iudicio, contingere enim poteſt vt inaduerſentia, vel ignorantia, quæ ante admonitionem erat inculpabilis, poſt illam incipiat eſſe culpabilis, quia poteſt obligare hominem, vel ad mutandum iudicium, ſi tanta ſit auctoritas admonentis, vel ſaltem ad faciendam maiorem examinationem. Oportet ergo ad huiusmodi excuſationem, vt penſatis omnibus etiam poſt admonitionem probabile maneat iudicium à tali obligatione liberans. At vero, ſi obligatio ſit clara vel certa, & trina præmiſſa admonitiō adhuc negligatur, tunc conſummatur cauſa cenſuræ: dicitur autem negligi quoties voluntarie omittitur, vel committitur aliquid, quod ad peccatum mortale ſufficit.

Adhuc vero ſuperſt dubium circa alteram partem, an conſummata hoc modo cauſa huius cenſuræ, ſtatim incurritur, vel neceſſe ſit ferri à Prælato, qui ter admonuit. Hoc enim poſterius contra Gloſſam ibi affirmat Turrecremata, citans quosdam alios, & c. An Caleſtine, 24. q. 1. quod nihil ad rem præſentem facere video: exponit autem illa verba, *Communionem priuatos*, id eſt priuandos: hæc tamen non eſt expoſitio, ſed mutatio verborum, quæ, ſi ſcitæ eſt, nunquam poteſt excommunicatio latæ ſententiæ ex verbis alicuius iuris colligi, quia vis collectionis in vno fere ſimili verbo conſiſtit: ergo nunquam licet illud mutare in aliud, quod ſimilem vim non habeat. Quocirca ex vi illius decreti non dubito quin cenſura illa ſi latæ ſententiæ; dubito tamen an in eo ſenſu ſit in praxi recepta. Et veriſimilius credo non ſeruari, neque huiusmodi miniſtratores ſecularis iuſtitie haberi pro excommunicatis in ſimilibus caſibus, donec à Prælato Eccleſiaſtico excommunicentur. Atque ita conſiderato præſenti vſu Eccleſiæ, & probabili opinione Doſtorum, non videtur hæc cenſura memoranda inter eas, quæ ipſo iure latæ ſunt.

Ex quo facile reſpondebitur ad aliam interrogationem, an hæc cenſura locum habeat etiam in his actionibus, ad quas hæc perſonæ tenentur ſolum ex charitate. Quamuis enim neceſſe ſit obligationem ſupponi; hæc tamen aliquando poteſt eſſe rigorosa, & ex iuſtitia: de qua res eſt clara. Aliquādo vero poteſt eſſe ex ſola charitate, quia licet officium per ſe non obliget quali ratione ſtipendij, vel pacti ad hoc vel illud agendum; perſona tamen habens tale officium, vt talem dignitatem, ratione illius circumſtantia obligari poteſt ad agendum aliquid ex charitate, vt verbi gratia, ob vitandum aliquod ſcādalum, vel ad ſuccurrendum pupillo, & viduæ, etiam in his quæ iuſtitia non poſtulat. Dico ergo, ſi conſideremus hanc cenſuram vt præciſe ex vi illius iuris latam, ſolum habere locum in actionibus iuſtitie quæ proprie dicuntur eſſe ex officio: nam de his loquitur

Qualiter poſſit excuſari adminiſtrator ſecularis ab hac cenſura.

Incurritur hæc cenſura, ne excomm. hac ipſo iure, aut ſe-  
renda ſit per hominem.  
Turrecr.  
opin.

Vera ſent.

Non habet locum cenſura hac etiam in actionibus ſolum ex charitate de-  
bitis.

Deſiſſe.

kk 3

tur textus; & restringendus est in materia poenali. At vero, si loquamur de hac censura ut ab Ecclesiastico prelato ferenda, sic in utroque genere actionum ferri potest: nam Ecclesia per potestatem spirituales potest cogere seculares Principes ad seruanda qualibet præcepta, ut in superioribus ostensum est, imo etiam in præsentia materia poterit prælati Ecclesiastici nouum præceptum imponere sub tali censura, si ad Ecclesiæ defensionem, vel aliū similem finem necessarium sit.

Secunda censura sumitur ex cap. Nulli fas, 19. dist. vbi Gregorius IV. excommunicationem ipso facto ferre videtur contra omnes Ecclesiæ Romanæ obediētes, qui Apostolicis decretis contraire audent. At caput illud, si in eo fertur excommunicatio ipso iure, necessaria intelligendū est de his, qui per hæresim, vel schisma à doctrina, vel obediētia Ecclesiæ Romanæ recedunt, nam alioqui constat, non omnes, qui non obediunt præceptis Summi Pontificis, statim esse excommunicatos. Atque in hoc sensu censura hæc satis explicata est supra in Bulla Cœnæ. Posset autem ille textus exponi, ut in eo nulla censura ipso facto feratur, sed præcipitur excommunicari, qui præceptis Ecclesiæ rebelles fuerint: ita enim recte intelligi possunt illa verba: Nec locum deinceps inter sacerdotes habeant sed extorres à sancto ministerio fiant. Quæ etiam de suspensione, vel depositione intelligi possunt, non quia per illa verba fiant, sed quia fieri mandentur: clarius vero de excommunicatione subditur infra, Quia maioris excommunicationis deestione est abiciendus; non est ergo abiectus donec excommunicetur. Vnde cum in fine subditur, Sitque alienus à diuini & Pontificalibus officiis, qui noluit præceptis Apostolicis obtemperare, intelligendum est, postquam excommunicatus fuerit suspensus, vel depositus. Igitur in rigore loquendo, nulla inuenitur in Decreto excommunicatio ipso iure lata, & distincta ab his, quæ in Bulla Cœnæ continentur, quæque in usu & praxi feruetur.

### SECTIO III.

Quæ excommunicationes non reservatæ in antiquis libris Decretalium continentur.

De excomm. in Decretal. non reservatis, quæ per nouiora in. ra sunt reseruatæ. Nauar. C. 1. de Schismat.



Inter has excommunicationes non nullæ sunt, quæ, licet in libris Decretalium non reseruentur, iam reseruatæ sunt in Bulla Cœnæ vel per alia iura: & ita has iterum explicare, non erit necesse, sed indicare tantum, & remittere ad superius dicta. Huiusmodi existimat Nauarrus c. 27. n. 117. esse illam, quæ fertur in cap. primo de Schismaticis; non designat autem in qua clausula Bullæ contineantur: significat autem esse in prima, quatenus ea schismatici excommunicantur; quia, cum nulla alia habet similitudinem. At vero in illo cap. 1. non videtur ferri censura contra schismaticos, sed contra eos, qui quosdam suspensos ab ordine ad ordinis ministerium admittunt: quod vitium longe diuersum est. Hoc autem ita esse constabit facile rextum intuenti. Nam in primis dicitur ibi ordinationes ab Hæresiarachis, vel ab ordinatis ab eis factas, esse irritas, & similiter collationes beneficiorum aut dignitatum Ecclesiasticarum, nullas esse: ac denique alienationes rerū Ecclesiasticarū ab eis dē, vel à laicis factas nullius esse validitatis. Et deinde subditur, Si quis autem contraire presumpserit, excommunicationi se nouerit subiicere. Neque ibi alia excommunicatio fertur: nam poena, quæ statim subiungitur contra eos, qui iuramentum præsterint de tenendo schismate, non est excommunicatio sed suspensio. Vnde potius ex illo textu colligunt Panormitanus, & alij interpretes schismaticum nō esse excommunicatum

A ipso iure, per argumētum ab speciali, vel potius negatiuum, quia propter alios speciales actus excommunicantur: vel quia ibi non inferitur talis censura, ut declaratum est.

Melius afferri posset in exemplum capit. Licet, de Electione, vbi fertur excommunicatio in eum, qui cum non sit rite electus à duabus partibus Cardinalium, se gerit vt summus Pontifex, & in eo qui eum recipiunt: quod crimen est propriissime & rigorose schisma: licet fortasse vitium illud aliis etiam modis committi possit. Illa autem excommunicatio in illo textu non reseruatur; sed per Bullam Cœnæ: & ideo ibi dicta, in ea habent locum. Aliud exemplum afferri potest ex cap. Non minus, de Immunit. Eccles. Vbi excommunicantur potestates seculares imponentes tributa Ecclesiasticis personis. Quod confirmatur, & extenditur in cap. Aduersus, eodem tit. de quibus in Bulla Cœnæ clausula 18. Aliud sumitur ex cap. Nouerit, de Sentent. excommu. vbi excommunicantur facientes statuta contra Ecclesiasticam libertatem, de quo in Bulla Cœnæ clausula 15. Præterea est aliud in cap. Excommunicationis, de Raptoribus, vbi excommunicantur rapientes bona naufragantium, de quo in 4. clausula Bullæ Cœnæ. Item aliud in c. Ad falsarium, cum c. Dura, de Adversus, de Crimine falsi. vbi excommunicantur falsantes literas Apostolicas, de quibus in Bulla Cœnæ clausula 6. Hæc igitur censuræ omittendæ in præsentia sunt.

Rursus sunt aliæ excommunicationes, quarum cognitio parum utilis est, vel quia spectant ad particularia loca, vel quia raro in usum veniunt. Atque etiam hæc non sunt ex professo tractandæ, sed indicandæ. Huiusmodi est, quæ fertur in cap. 1. de Locato, quæ pertinet ad Academiam Bononiensem. Excommunicantur enim ibi Doctores, Magistri, & scholares illius Academiæ, qui ante tempus conductionis elapsum de locandis domibus pertractant absque consensu eorum, qui illas inhabitant, & conductas habent. Solum ergo hic aduertimus statum illud non esse extendendum ad alias Academias, propter similitudinem rationis. Item huc spectat capit. Quoniam, de offic. ordin. vbi excommunicatur Episcopus, qui in ciuitate, in qua est populus diuersarum linguarum, se ingerit ad docendum, vel regendum partem populi alterius linguæ ad se non pertinentem, sine vicario ad id deputato à proprio prelato. Quam censuram parum utilem existimauit Caietan. ca. 78. de excommunicatione. Nauar. autē putat esse necessariam in consensibus aliquorum regnorum, vt Galliæ, & Nauarræ, seu Castellæ. Quidquid vero de hoc sit, nobis dicere sufficit, vbi locum habuerit, seruandam esse constitutionem illam, vt posita est.

De excomm. in Decretalib. non reservatis, quarum cognitio vti esse potest.

His ergo adnotatis, duæ tantum, vel tres supèrant excommunicationes ex prioribus libris Decretalium explicandæ. Prima est in capite primo de Schismaticis. Vbi directe excommunicantur illi qui ratas habent quasdam actiones schismaticorum contra illius textus dispositionem: & talis censura ex vi eiusdem textus non est reseruata, neque etiam ex vi Bullæ Cœnæ, si non transeat in schisma, vt a iunt Caietan. cap. 8. & Armilla excommunicatio. 92. Sed tunc iam non erit illa excommunicatio, sed alia, quia ibi non fertur excommunicatio propter schisma, vt supra notauimus. Tres autem sunt actiones quæ ibi irritantur, scilicet ordinationes factæ ab schismaticis, vel ab ordinatis ab eis: quod intellige quantum ad executionem ordinis: nam quantum ad substantiam sacramenti non possunt irritari, vt saepe dictum est. Secunda actio est collatio beneficij,